



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XXVII. Vtrum actus Fidei sit liber?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

QVÆSTIO XXVII.

Utrum actus fidei sit liber?



IDEVR non esse. 1. Quia quicumque credit, cognoscit euidenter pro priori naturæ maiora, & meliora adesse fundamenta pro ea parte, quam pro contraria. Non est autem liberum relicta ea parte, quæ euidenter est melius fundata, amplecti oppositam partem deterioris euidenter fundamenti. Quia intellectus non potest iudicare, & affirmare id esse verum absolute, quod euidenter videt maiori falsitatis periculo esse expositum, quam partem contrariam. Ergo nemo credens fide diuina est liber ad non credendum, vel ad credendum oppositum.

2. Sunt aliquæ reuelationes diuinæ, quibus intrinsecè repugnat, vt non adhibeatur assensus, vel vt adhibeatur cum potestate non assentiendi, quia omnino repugnat, vt quis non assentiatur reuelationi de propria prædestinatione; necnon vt assentiatur reuelationi de propria reprobatione cum potestate dissentiendi, vel non assentiendi. Si enim is, cui reuelaretur propria prædestinatio, posset dissentire reuelationi, posset per eum dissentium, vt pote lethaliter peccaminosum, mereri reprobationem; ac proinde impedire prædestinationem sui, idest, reddere falsam reuelationem, cui dissentit, & cum qua propterea habet connexionem essentialiter, quæ vt patet, ex se est exclusiua sentus diuini. Similiter si is, cui est reuelata sua reprobatio, posset ei reuelationi assentiri cum potestate ei dissentiendi, aut non assentiendi, posset elicere actum meritorium vitæ æteræ, saltem de congruo, idest meritorium prædestinationis, & impeditiuum reprobationis, & consequenter falsificatiuum formaliter ipsius reuelationis, cui assentiretur, & cum qua proinde essentialiter conneckeretur, nec relinqueret locum potestati impediendi eandem reuelationem in sensu diuino. Omnes autem actus fidei sunt eiusdem speciei, vt patet ex vnitæ obiecti formalis; neque verò possunt esse eiusdem speciei actus liber, & necessarius, vt dictum est in quæstionibus de Actibus humanis. Nullus igitur actus fidei est liber.

Art. 1. Resp. De libertate, & merito actus fidei sunt multa testimonia manifesta, & obuia apud Auctores in præsentia, præsertim Suar. disp. & sect. 6. Deinde experientiâ non minus manifesta vnusquisque conicit; ea se libertate inducere actum fidei, vel eius suspensionem, vt liber, qua inducit applicationem intellectus ad consideranda hæc, vel illa obiecta; qua experientia nixus, dicit Augustinus cap. 2. de Prædest. sanctor. *Cetera potest homo nolens; credere autem non nisi volens.* Denique sola euidentia veritatis, hoc est, purum bonum intellectus nulli coniunctum malo, ex periculo, seu imminetia falsitatis, vnde cumque, & qualitercumque apparentis potest aperire necessariò innatam illius inclinationem in veritatem, quæ est ipsius veluti centrum. Vbi enim adest aliqualis imminetia, seu apparentia falsi, quam sola euidentia oppositi excludere penitus potest, eo ipso datur, quod sufficiat ad retrahendum, & suspendendum intellectum. Quia nulla potentia patitur impetum necessarium, respectu vllius sui mali, seu veri, seu, quod perinde est, apparentis sibi hic, & nunc, nec necessarij ad esse, & conseruari. Id quod est in consilio apud omnes de voluntate, potentia baudquaquam nobiliori, quam sit intellectus, ideo-

que non magis abhorrenti à suo malo, quam abhorreat intellectus. Potentia autem non electiua, dum non est ad vnam partem necessariò determinata; atque adeò habet vnde, quantum est ex se, suspendatur, indiget positiuo imperio potentia formaliter electiua, quo determinetur. Dictum verò est suprà adesse credenti, pro priori naturæ, apparentiam falsitatis retrahentem à credendo, & inuitantem ad non credendum. Ergo determinatio ad fidem provenit ex libera electione, ac imperio voluntatis.

Art. 2. Nonnulli admissa positiva libertate, quoad exercitium, negant illam quoad specificationem. Verum est hæc etiam libertas attribuenda fidei. Primò, quia in quæst. de actibus humanis, ostensum est, posse intellectum determinari imperio voluntatis, ad assensum eius etiam partis, pro qua præit minor apparentia veritatis. Deinde, quia, vel omnes, vel saltem plerique eorum, qui audito Euangelio illi non obediunt, seu non assentiuntur, nequaquam id faciunt purè suspendendo iudicium, seu non deferentes plus erroribus, quibus erant præoccupati, quam Euangelio, sed contemnendo Euangelium ob amorem, & adhesionem ad priores errores, atque eorum prælationem respectu Euangelij, quod præ se ferunt manifestè pleraque testimonia, quæ, dictum est haberi apud Suarez, & alios in præsentia, pro libertate actus fidei. Inter alia est magnæ ponderationis eam in rem, quod habetur Actor. 17. 32. de prædicatione Pauli apud Athenienses: hi enim, vt refert sacer Textus: *cum audissent resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt, audiemus te de hoc iterum.* Sic Paulus exiit de medio eorum. *Quidam verò viri adherentes ei crediderunt.* Quibus in verbis clare distinguuntur tres audientium classes. Prima eorum, qui crediderunt. Secunda eorum, qui suspenderunt iudicium, dicentes: *Audiemus te de hoc iterum.* Tertia eorum, qui irriserunt, qui proinde non suspenderunt iudicium, multò verò minùs crediderunt. Adhæserunt ergo prioribus erroribus eum contempnendo Euangelij. Omnibus autem Apostolus sufficienter propoluerat veritates fidei, de quo dubitari minime potest. Ergo assensus fidei, post sufficientem propositionem articulorum, est liber, non solum libertate contradictionis, seu exercitij, sed etiam contrarietatis, & quoad specificationem. Idem similiter conficitur ex eodem libro sub finem.

Art. 3. Confirmatur, quia fieri potest, vt ea pars, quam sonat minor apparentia veritatis, quod spectat ad intellectum, simul habeat contra se bonum vtile, aut delectabile efficacius propositum voluntati, ad cuius imperium pertinet determinatio intellectus; nec apparet, cur imperium voluntatis impedire possit, quo minùs intellectus assentiatur illi parti, cuius præluet maior apparentia, & non possit adigere, vt assentiatur oppositæ parti, ad quam adest maior inclinatio voluntatis secundum se; cum intellectus quantum est de se, non possit magis abhorre ab hoc assensu, quam à suspensione prioris assensus; siquidem tanto bono priuat ista suspensio, quantum malum inducit ille alius assensus, idest, vtroque est æquale pondus boni, ac mali; nempe priuatio boni est mala formaliter, non secùs atque positio boni, cui est coniunctum aliquod nocumentum. Eadem igitur ratione, qua conceditur in fide libertas contradictionis, concedenda quoque est libertas contrarietatis.

Art. 4. Dantur nihilominus nonnullæ reuelationes præsupponentes essentialiter inaudiente propositum vniuersale efficac assentiendi omni diuinæ reuelationi sufficienter propositæ; vel præsupponentes, quod perinde est, aliquem alium actum fidei, vel dilectionis diuinæ. Quæ proinde reuelationes sunt essentialiter impossibiles cum dissensu sui, aut omissione

omissione consensus culpabili, qui videlicet dissensus, seu omisso assensus est assentialiter impossibilis cum illis actibus præsuppositis essentialiter per eiusmodi reuelationes. Possibiles nimirum sunt, & de facto dantur reuelationes propriæ Dei, vt Magistri, & Amici, quatenus iam possidentis actualiter affectum ad hæc suum efficacem audieritis, vt Discipuli sui, & Amici; atque adeo impotentis impotentia consequenti resiliere pro tunc ab vlla parte doctrinæ Magistri sui.

Art. 5. Huiusmodi fuit reuelatio facta D. Petro Luc. 12. 32. de fide eius non defutura, seu quod perinde est apud Maldonatum ibi, & alios, de Oratione facta à Christo, ne deficeret fides Petri. Defecisset autem, si illi ipsi reuelationi non consensisset, ac proinde ipsa reuelatio euasisset falsa, quod est impossibile. Eiusmodi etiam fuere reuelationes factæ nonnullis sanctis de ipsorum prædestinatione, quarum dissensus fuisset essentialiter connexus cum iisdem, utpote essentialiter contradicens iisdem sufficienter propositis. Vnde talis dissensus esset essentialiter impunitibilis æterna damnatione; cum punibilitas opposita sit de conceptu quidditatiuo peccati lethalis. Ergo is dissensus esset, simulque non esset peccatum lethale. Eadem est ratio de reuelatione, quæ cuiquam innotesceret se esse fidelem, aut etiam iustum. Quia si illi dissentiret, componeretur peccatum infidelitatis cum habitu fidei, & iustitiæ, ac sanctitatis. Item denique dicitur de reuelatione actus fidei, aut charitatis, præexistentis pro priori naturæ ad ipsam reuelationem; cuiusmodi reuelatio virtualiter continetur in cæteris, quæ modò commemoratæ sunt, reuelationibus. Istæ autem omnes impossibilitates, seu absurda tolluntur, asserendo reuelationes eiusmodi essentialiter præsupponere actum liberum audientis, essentialiter impossibilem cum actu infidelitatis, vt dictum est, nec possunt aliter tolli, quia sola sua voluntate potest vltimò determinari, qui credit, ad credendum.

Art. 6. Quapropter libertas impediendi assensum eiusmodi reuelationum est tantum indirecta, nec distinguitur à libertate impediendi existentiam ipsarum reuelationum per impediendum actum liberi, quem dictum est ab iisdem reuelationibus essentialiter præsupponi. Reliquæ verò reuelationes non præsupponentes essentialiter pro priori naturæ eiusmodi actus ex parte audientis, sunt credibiles liberè libertate nondum exercita, siue absolute, siue conditionate, ante ipsarum propositionem, imò constituta partialiter in actu primo proximo per eandem propositionem. Quia verò huius posterioris generis sunt omnes reuelationes pertinentes ad publicam, & communem Ecclesiæ fidem, quæ communiter intelligitur sub nomine fidei absolute prolato; propterea simpliciter, & absolute dicendum est, actum volendi credere, esse immediatè liberum libertate contradictionis, & contrarietatis.

Ad 1. Cum euidentia credibilitatis, excessus fundamenti, & obligationis ad credendum, componitur potestas libera non credendi, & assentiendi opposita parti. Sicut componitur libera potestas peccandi cum euidentia maioris simpliciter bonitatis in actu præcepto, & obligationis obediendi Deo, vt apparet ex dictis quæst. 12. de Act. hum. præsertim ad 1. & 2. Quia videlicet allicit in partem contrariam motuum diuersæ rationis habens in se aliquam bonitatem, aut rationem apparentem specialem, quæ non infit motui actus honesti; atque idè vtrumque motuum se habet tanquam excedens, & excessum comparatione alterius. Vnde voluntas relinquatur libera, vt ad vtrumlibet feratur, sub ea ratione formali, secundum quam excedit. Quia vtrique pars secundum

conceptum excedentis retinet conceptum eligibilis, & præferibilis opposita parti. Nempe intellectum non comprehensuum potest decipere quilibet excessus, etiam si sit secundum quid tantum; dum reputatur, vt excessus est, & aliquo modo dissimulatur, quod sit excessus tantum secundum quid. Quæ ratio pervertendi voluntatem faciliè apprehenditur in opere credendi aduersantibus fidei motiuis tantum naturalibus, quæ considerata discursu naturali inferunt dictamen vltimum contradicens fidei maiori aliquatenus claritate præditum, quàm sit motuum assentiendi, vt habet iudicio de obligatione credendi. Instatur præterea argumentum in peccatis, quæ committuntur per iudicium temerarium, iniquam suspicionem, & dubitationem aduersus honorem, & famam proximi, existente vtiq; maiori absolute fundamento ad oppositum, vt dictum est ex communi quæst. 38. de iust. Similis etiam instantia sumitur ex falsitate, quam patiuntur Dæmones præcipitando intellectum per imperium voluntatis, vt dictum est cum D. Thoma quæst. 15. de Ang. art. 5.

Ad 2. Patet ex dictis. Ad id quod additur de distinctione specifica actus liberi à non libero, dicatur actum ipsum fidei nunquam esse immediatè liberum, siquidem immediatè est actus intellectus. Voluntas autem credendi, non semper est eiusdem speciei. Sunt enim multa, & multipliciter inter se diuersa, motiua, quæ allicere possunt voluntatem ad volendum credere. Vnde nullum est inconueniens, quod is actus non sit semper eiusdem infimæ speciei. Præterea libertas immediata, & defectus huius libertatis diuersificant quidem speciem actus voluntatis, sed non necesse est, eam diuersitatem esse quoad substantiam, & ex parte motiui: Potest namque esse solum ex parte principij, & quoad modum, vt dictum est in quæst. de Actibus humanis. Solet hic disputari de actu fidei, an sit meritorius, sed posito eum esse supernaturalem, & liberum, vti ostensum est, non potest dubitari, quin sit meritorius, vti probat multis efficaciter Augustinus lib. 1. de prædest. sanct. cap. 2. ac deinceps, vbi fidei etiam infirmi tribuit aliquam rationem meriti, nempe de congruo.

QVÆSTIO XXVIII.

An Actus Fidei sit necessarius ad salutem?



IDEVR non esse. 1. Quia Deus omnibus suppeditat media necessaria ad salutem, iuxta illud: *vult omnes homines saluos fieri*, & similia. Atque adeo nemo decedit à vita æterna, aut incidit in æternam damnationem, absque culpa propria, & quidem personali, si sit adulus, & compos rationis. Multi autem absque propria culpa, carent omni fide supernaturali: quæ scilicet concipitur, & haberi à nemine potest, sine prædicante, vt dictum est suprâ ex Apostolo. Multis porrò deest Prædicator legitimus, omnisque credendorum noticia sufficiens; de quo videtur dubitari minimè posse, si considerentur non solum nutriti in syluis, absque hominum confortio; sed etiam nati, & adulti in terris hæreticorum, aliorumque infidelium, quin vnuquam in mentem ipsis veniat vlla credendorum, & fidei supernaturalis, vel etiam apprehensio simplex, aut minima aliqua noticia. Ergo fides supernaturalis non est simpliciter necessaria ad salutem, & vitam æternam consequendam.